D. GREGORII PAPÆ IX.

VNA CVM GLOSSIS

Ad exemplar Romanum diligenter recognitæ.

Venetiis. M.DXCI.

BIBLIOTECA UNIVERSITARIA SALAMANCA

DECRETALIVM
D. GREGORII PAPAE NONI
COMPILATIO.

GRegorivs Epiſcopus ſeruus [a] ſeruorum Dei, Dilectis filijs [b] Doctoribus & Scholaribus vniuerſis Bononiæ † commorantibus,[c] Salutem [d] & Apoſtolicam benedictionem.

GREGORIVS.] In huius libri principio quinque vel ſex præcipue ſunt prænotanda, videlicet, quæ ſit intētio, quæ materia, quæ vtilitas, cui parti philoſophiæ ſupponatur, quis modus agēdi, & quis libri titulus. [1] Intētio D. Gregorij in hac præſenti compilatione fuit, diuerſas Conſtitutiones & Decretales epiſtolas prædeceſſorum ſuorum in diuerſa diſperſas volumina ſeu compilationes, quæ difficultatem ſtudentib. ingerebant, in vnā cōpilationem (reſecatis ſuperfluis) ad vtilitatem legentiū & ſtudentium reducere: prout in eiuſdē D. Gregorij conſtitutione euidentius declaratur. Materia in hoc opere ſunt ipſæ Conſtitutiones & Decretales epiſtolæ ſub ſingulis tit. collocatæ. Vtilitas [a] eſt, vt his lectis, & intellectis, ſciamus diſcernere inter æquū & iniquum, & vnicuique reddere quod ſuum eſt, & in hoc iuſtitia conſiſtit: vt Inſti. de iuſt. & iu. in prin. & 12. q. 2. cū deuotiſſimam. Supponitur Ethicæ. i. morali ſciētiæ, ſicut & alij libri iuris. vnde etiam dicit Imperātor, legibus noſtris hominum mores intendimus corrigere. C. de ſec. nupt. l. 1. §. namque. ibi, Ne in his. Modus agendi talis eſt. Diuidit enim opus ſuum in quinque partes. In prima parte tractat de ſumma Trinitate & fide catholica, & de conſtitutionibus, de reſcriptis, de iudicibus, & eorum officijs. In ſecunda parte tractat de iudicijs, & cooperantib. ad iudicia. In tertia parte tractat de vita & honeſtate clericorum, & de rebus eorum & eccleſiarum. In quarta de ſponſalib. & matrimonijs, & impedimentis eorum. In quinta de accuſationib. & criminalibus, & pœnis eorum. & ſic terminat tractatum ſuum, ipſum diuidens in quinque partes, ad ſimilitudinem quinque ſenſuum corporis, quos qui iudicat, habere debet, aliter non eſt idoneus iudex. Sic enim omnis copula coniugalis reſtricta eſt vſque ad quartum gradum, ad ſimilitudinem quatuor humorum corporis humani: vt infra de conſangui. & affini. non debet. §. prohibitio.

1 Titulus huius libri in manuſcriptis vetuſtiſſimis ita habet: Incipit cōpilatio decretaliū Domini Gregorij Papæ noni.

a Quod alij dicunt, cauſam finalē. & ponit hic glo. cauſam finalem proximam. Cauſa vero finalis remota eſt fœlicitas & beatitudo quæ ſequitur ex cauſa proxima. vt in proœm. ff. §. diſcipuli. 2. in fi. Ioan. And. in no.

Dicens, Gregorius Epiſcopus, Seruus ſeruorū Dei, &c. titulum huius libri ponit. Vnde verſus:

Pars prior officia parat. Eccleſiæque miniſtros.
Altera dat teſtes, & cætera iudiciorum.
Tertia de rebus, & vita Presbyterorum.
Quarta docet quales ſint nexus coniugiorum.
Vltima de vitijs, & pœnis tractat eorum.

Vel ſic, & breuius:

Iudex, iudicium, clerus, ſponſalia, crimen.

Hi verſus, & ſequētia vſque ad verſ. ſeruus. non ſunt Bernardi, ſed aliorū additio.

¶ Gregorius.] Diuiditur in duas partes principales. In prima ponitur ſalutatio. In ſecūda exordium. ibi, Rex pacificus. Prima ſubdiuiditur, quia primo ponitur quis ſcribit. ſecundo quibus ſcribit. ibi, Dilectis. tertio ſalutat & benedicit. ibi, Salutem.

[Gloſſa ſeq. recitetur per modum quæſtionis quare ſe vocat Seruum, &c.]

a ¶ Seruus.] Sic etiā Imperator ſeipſum appellat ſeruum. C. de offi. præfe. prætō. Afri. l. 1. circa prin. Vel dic q̄ dicit ex humilitate: quia qui maior eſt veſtrū, fiat ſicut miniſter veſter 9. q. 3. nullus primas. Mat. 20. Luc. 22. & Mar. 10. Vel ſeruus dicitur: quia ſicut per ſeruū acquiritur domino. inſtitu. per quas perſo. nob. acqui. circa prin. ita etiā per D. Papā cuilibet eccleſiæ pōt acquiri. ̄j. de cēſi. cū inſtātia. in particula, quæ deciſa eſt de principio. ̄j. vt lite pēd. eccleſia 2. ſic per Imperatorem acquiritur hominibus. in auth. conſtitu. quæ de dign. libe. à pat. poteſta. §. illud quoque. coll. 6. & noctes ducit inſomnes, vt ſubiecti ſub omni quiete conſiſtāt, in auth. vt iud. ſine quoquo ſuffr. in princ. coll. 2. & dicit Imperator: Voluntarios labores appetimus, vt quietē alijs præparemus. in auth. vt diui. iuſſio. ſubſcr. habe. glorioſi. quæſto. in princ. collat. 8. & infra de reſtit. ſpol. c. frequens. †

† Lib. 6.

b ¶ Filijs.] bene dicit, filijs: quia ſolummodo Patriarchas, Archiepōs, & Epiſcopos fratres appellat, omnes alios filios. ̄j. de cri. fal. quā graui.

† In vno manuſcripto vaticana legitur, Pariſius: in altero Bononiæ, & Pariſius, ſed vt plurimū omnes habent, Bononiæ.

[Gloſſa ſequēs recitat per obiectionem, quod compilatio non ſit generalis, nec omnes liget ex quo ſolum, &c.]

c ¶ Bononiæ commorantibus.] Et ita non in caſtris: quoniam ſi in caſtris ſtudeant, beneficia ex priuilegio ſibi conceſſa occaſione ſtudij habere non debent. ̄j. de cleri. non reſi. cum fraternitatis. [2] Præterea ex quo dicit, Bononiæ non videtur q̄ alijs mittatur alibi ſtudentibus, & ſic non tenent recipere hanc compilationē: quia litteræ Papæ non extenduntur ad alios quàm ad eos quibus mittuntur: vel qui continentur in eis. arg. ̄j. de offi. delega. P. & G. & c. gratū. & c. cum olim. Sed non eſt ita. omnes enim tenentur ad obſeruationē huius cōpilationis, ſed propter ſtudium, quod eſt Bononiæ communius & generalius præcipue in vtroq; iure, & ibi quaſi de omnibus partibus mundi ſunt ſtudentes: ideo potius Bononiæ diriguntur: & ita oēs tenentur hanc compilationem obſeruare, quæ nec poſſent, nec debent ſingulorū auribus intimari. 16. diſt. quod dicitis. & ̄j. de poſtu. præla. ad hæc. Et conſtitutio principis poſt duos menſes à tēpore publicationis omnes aſtringit. in auth. vt fact. nouæ con. circa prin. coll. 5. & ̄j. de ſenten. excom. nouerit.

3 Concord. tex. in l. generaliter. §. 1. C. de epiſ. & cle. no. Bart. in l. fin. ff. de coll. plenius in auth. habita, C. ne fi. pro pat.

d ¶ Salutem.] per talem ſalutationē non tollitur excōmunicatio, ſi aliqui ſcholares, vel miniſtri eſſent excommunicati tempore publicationis. ̄j. de ſent. excom. ſi aliquando. vbi de hoc. Bernar.

REx pacificus.] Primo ponit exordiū, in quo concludit finale intentū iuris generalis. Secūdo narrationem, in qua oſtendit finale intentum huius compilationis, ſeu iuris particularis. ibi, [Sane]. Tertio cōcluſionem. ibi, Volentes. Prima ſubdiuiditur; quia primo ponit finem viatoris, i. hominis, ad quem à Deo diſpoſitus eſt. Secundo cauſam deuiationis ab hoc fine. ibi, Sed effrænata. Tertio vt ad debitum finem viator deducatur, concludit legem neceſſariam, & oſtendit tres virtutes ac proprietates. ibi, Ideoque lex.

CASVS. Præmiſſa ſalutatione, ſic pone caſum in iſta cōſtitutione. Rex pacificus, id eſt, dominus noſter Ieſus Chriſtus pia ſua miſeratione ab initio mundi diſpoſuit, ſeu præuidit, ſubditos ſuos fore pudicos, pacificos, & modeſtos: ſed ex aduerſo ſurrexit effrænata cupiditas ſui prodiga, pacis æmula, mater litium, materia iurgiorum, quæ quotidie tot litigia generāt, q̄ niſi iuſtitia reprimeret conatus ipſius ſua virtute, & explicaret multiplices quæſtiones, abuſus litigatorum extingueret fœdus humani generis, & concordia exularet, dato ſibi libello repudij, extra mūdi terminos. Et ideo contra iſtam cupiditatē lex prodita eſt, vt noxius appetitus ipſius reſtringeretur ſub regula iuriū,

per quam